

ret, potuit agninem induere mansuetudinem ; et nolet Christianus frenare peccandi impetum, qui antequam admoveat manum ad peccatum, scit, vel saltem scire debet, gladium Dei evaginatum sibi imminere ? Quid enim est illud Jacobi V. *Ecce judex ante janum assistit ; nisi jam imminet, jamjam ulcisci veniet ?* Hinc ergo S. Clemens epist. I. narrat S. Petrum dicere solitum : *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos judicium Dei ponat ?* Sententia profecto tanto apostolo digna et proposito nostro congruissima.

Ergo, auditores, admittamus etiam nos, et induamus nobis vinculo Joannis, vincula iustorum ; et si quidem his jam vinci sumus, ne quæramus solutionem. Ita enim suadet Ecclesiasticus cap. VI. *Audi fili, inquit, et accipe consilium intellectus, et ne abficias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torque illius collum tuum. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torque illius in stolam gloriae. Decor enim vita est in illa (sapientia) et vincula illius alligatura salvatoris, etc.*

CONCIO VI.

DE VINCOLIS PECCATORUM, QUIBUS RETINENTUR IN POTESTATE DÆMONIS, NE AD PÆNITENTIAM FESTINENT.

I. Incredulitas. — II. Spes longioris vitæ. — III. Desperatio et diffidentia. — IV. Patientia horror. — V. Exemplum malorum. — VI. Respectus humanus. — VII. Neglectus salutis. — VIII. Præsumptio. — IX. Obstination. — X. Dæmonis astutia.

THEMA.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, etc. Matth. XI.

Magna contentione querunt animas hominum Deus, et humani generis hostis diabolus, ita ut postquam ceperint unam, eam mox in vincula conjicant, sedulo custodiant, ne sibi elabatur ; etsi valde diverso fine : Deus ut vitam illis det ; diabolus vero ut mactet et perdat, Joan. X. De Dei vinculis loquitur Ecclesiasticus c. VI. dicens : *Ne acedieris in vinculis ejus. Et mox : Vincula illius alligatura salutaris. De vinculis diaboli loquitur Dominus Luc. XIII. dicens : Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit Satanás, non oportuit solvi a vinculo isto ?* Utraque autem vincula talia sunt, non quæ cogant hominem, sed fortiter quidem constringant ; rumpi tamen ab illo, si velit, possint. Quænam vero Dei sint vincula, jam ante diximus ; quod attinet ad diaboli vincula, multi ex illis vinculis mittunt quidem, quemadmodum Joannes in hodierno Evangelio, suos quosdam discipulos, id est, desideria quedam imperfec-

ta, suspiria, et velleitates, quibus liberari a jugo dæmonis et fungi vellent Deo ; ipsi tamen non accedunt, nec unquam dicunt : volumus, sed vellemus tantum. Quænam autem illa sint, et quam contemnda, nunc ostendam.

I. Incredulitas, qua persuadentur a dæmons, quasi ea quæ de inferno et altera vita dicuntur, de meritorum retributione, tantum inanes minæ sint et terriculamenta. Hoc pacto decepti sunt increduli illi Ægyptii Exo. IX. qui, comminante et prædicente per Moysen Deo grandinem multam nimis, perempturam homines et jumenta, nisi de agris sub tecta reducantur, fidem dicent non adhibuerunt, nec sub tecta se receperunt, nec pecora reduxerunt : ideoque cum jumentis omnes a grandine occisi sunt. Alii vero, qui timuerunt verbum Domini et crediderunt ei, receperunt se et pecora sua in tutum, et salvi fuerunt. Non dissimiliter Dominus toties nos admonet de futura ultima tribulatione, et igne perpetuo impenitentibus præparato ; proinde recipiamus nos in tutum, fugiamus sub tectum pœnitentiae, nisi perire velimus. Quid tristius nuntiari potest eo, quod Dominus Luc. XIII. ait : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed non omnes timent hoc verbum, quia non omnes credunt, ideoque ad pœnitentiam non festinant. Sed num experimentum capere vultis earum, quas prædixit Dominus veritatum ? Ante dies 14. audivimus, quam cladem et calamitatem prædixerit Dominus Jerosolymitanis, extremam scilicet vastationem ; proinde cum viderunt urbem circumdari ab exercitu et abominationem stantem in templo, tunc fugerunt ad montes, etc. Annon exitus ostendit, vera dixisse Dominum ? Facta sunt hæc ordine : nam paulo ante eversionem urbis templum a seditionis occupatum, per cædes aliasque impuritates profanatum, adeoque (modo loquendi Scripturæ) abominatione facta est ; similius a Cestio Syria præside, obsidione cincta urbs, licet ad modicum tempus, ut daretur locus fugiendi fidelibus e civitate : deducit Baronius anno Christi 68. Quæ duo immunitatis jam clavis signa advertere et credidere fideles, ideoque ex urbe in alias regiones elapsi sunt juxta Christi consilium, ut testatur Epiphanius hæresi XXIX. et XXX. Reliqui vero, qui dictis Christi fidem non habuerunt, remanentes, miserime perierunt juxta omnia quæ prædixit Christus. Numquid hæc terriculamenta et inanes minæ erant ? Annon exitus ostendit, verissimam fuisse Christi prædictionem ? Igitur, o increduli, vel hoc exemplo discite, vana non esse, quæ comminatur Dominus impenitentibus.

II. Spes longioris vitæ ; confidunt enim multi robori, valetudini, et juventuti suæ, quasi adhuc

DOMINICA II. ADVENTUS.

tempus sit, et in momento, cum opus erit, pœnitentiam agere possint. Quibus accedit, quod aviculæ, quæ confusa in volatus sui perniciitate, licet videat infra se auncupem, de ramo in ramum saltat et cantat, quasi bene antevertere possit auncupem, si quid contra eam tentare vellet ; putat enim se, ubi strepitum audierit, mox avolaturam : interim tamen balistæ globo traiicitur incauta, antequam sonitus percipiat. Ita multi dueunt in bonis dies suos, et voluptate de vitio in vitium saltantes ; putant enim se ubi mortis adventure strepitum per senium vel aegritudinem audierint, mox pœnitentiam acturos, confisi in pennis roboris et juventutis sua ; interim tamen saepè antevertuntur, et pereunt, antequam senescant aut ægrotent. Non potest dæmon persuadere talibus, quod sint immortales ; id enim credere nequeunt, cum quotidie videant, modo abripi parentem, modo amicum, modo vicinum. Potuit quidem facilius hoc persuadere primis parentibus, ut qui mortis nullum adhuc viderant vestigium ; nobis autem minime, ut dixi ; quid igitur facit ? Medicum imitatur, qui infirmo daturus certam pulpa casæ quantitatib[us], dividit eam in minutis pilulas, siue paulatim per partes ægrotum assumere facit, quam is simul totam non sumpsisset. Semper victurum hominem, hoc jam dæmon nemini persuadet, sed cras te victurum et perendie et sic deinceps ; hoc persuadet non difficile : unde tamen fit ut perinde vivant peccatores, ac si immortales forent. Hoc cum sibi persuaderet dives ille, annos scilicet plurimos, apud Luc. capit. XII. audiit a Deo. *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te.* Accipitre unam ex aviculis rapiente, reliquæ omnes relicta esca et commoditatis suis, in tutum se recipiunt, cantumque silentio communant, quia simile infortunium metunt ; peccator autem, licet quotidie videat modo hunc, modo illum socium suum a morte abripi, non ideo desinit luxuriari, inepti, edificare, congregare, honores quærere, etc. Unde hoc, nisi quia immortalem se putat, nec simile infortunium metuit ? Verissimum ergo, quod Ecclesiasticus capit. XXIX. ait : *Repromissio nequissima multos perdidit.* Cave igitur ne hoc vinculo refineri te patiaris, sed quia nullum habes certum diem, omnes suspectos habe. Quæso enim te, si in aulam introduceris, in qua scires, unum esse asserem occultum, qui, ubi eum attigeris, cedet et te dejiciet in mille gladios acutissimos, (qua ratione dicuntur perimi alicubi magni nominis rei) quomodo tu ibi spatiari, saltare, ludere pila posses ? Annon totum pavimentum tibi suspectum esset ? Modo vita tua ejusmodi aula est, in qua latet interitustui dies aliqua, licet ignota. Quomodo ergo non semper paves, non semper tibi provides ?

III. Desperatio vel etiam diffidentia aliqua de Dei misericordia. Quemadmodum enim cervus qui in exiguo saltu continetur, si modo venator eum includat pennis funi implexis, quibus conspectis putat se cervus undique conclusum et in retia casurum, ideoque in saltu retinetur, donec a venatore globo traiicitur : ita dæmon peccatorem inveteratum maxime in articulo mortis constitutum undique concludit cogitationibus et angustiis, quasi impossibile ei sit evadere. Qui enim primo levissimum finxit peccatum, ut induceret eum ad peccandum, postea gravissimum fingit, ut retineat inductum ; sicuti mercator, ut alliciat ad se emptorem, merces proponit, et dicit exiguo eas constare, solutioni se tempus dare, pecunia non indigere, etc. postea improviso advenit, nummosque exigit cum fœnore, diu se expectasse asserit, debitum magnum esse, se jam pecuniis indigere, judicem implorandum, etc. quo nimurum eum cogat domum sibi et fundos suos tradere. Ita in angustias redactus est a pessimo illo exactore dæmon Judas, ut undique discurrens, nullibi effugium inveniens, iverit potius ad carnificem, quam ad medicum, ad Scribas, quam ad Christum, atque ita demum extorsit ab eo animam. Sed stramineum et pennaceum est et hoc vinculum. Cave ab illo retinearis ; nequit tibi dæmon cœlum adimere, sicuti nec dare præsumenti.

IV. Pœnitentiae difficultas et austeritas. Ut enim mures reperiuntur, qui limo ante ostium cavi illito, nolunt egredi, sed potius inibi manere, adeoque capi malunt, quam in egressu fedari, teste Pierio I. XIII. hierogl. ita aliqui delicatuli malunt in carcere dæmonis remanere, quam per pœnitentiae foramen non nihil strictum et humile egredi. Quid, inquit ? Mene ita dejiciam ut noxas omnes homini appeariam, ab illo argui, instrui et puniri me patiar ? Ita fascinaverat aliquando Naaman illum Syrum IV. Reg. V. qui ad mundandam lepram suam jussus ab Eliseo septies lavari in Jordano, rem se indignam aut duriorem censens iratus recedebat. Sed audiens a servis ; *Pater et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras ; quanto magis quia nunc dixit tibi : lavare et mundaberis ?* Lavit et mundatus est. Multi tales qui malunt manere leprosi, quam exure conscientiam in confessione et lavando se præbere : venit vero hic timor ex eo quod ignota sit peccatoribus via pœnitentiae. Quærit Aristoteles part. V. problem. XXV. cur via ignota longior appareat, quam nota ? Et respondet : Ideo videri, quia nota sub certo termino apprehenditur, et ut tanta, non longior ; ignota vero sub incerto termino, et tanta vel tanta apprehendi nequit, ideo quodammodo ut

infinita apprehenditur. Via pœnitentia ignota est peccatoribus, ideo ut difficillima et quasi infinita ab eis apprehenditur; non ita ab iis, qui hanc viam sœpius triverunt. Mirum vero est, quod peccatores ad jugum diaboli, aliaque mundi gravissima onera fortes sint, ad solam pœnitentiam ignavi; instar elephantum, ut S. Ambrosius scribit in hexam. in opera VI. diei, quod ad turres ferendas fortes sunt, murem intremunt.

V. Exemplum aliorum peccatorum; nolunt enim videri alii meliores, sed et judicant alios graviores peccatores esse, quam sint ipsi. Ita juxta laqueos retinuntur aviculae, quia vident ibidem cantantes alias captivas; dum enim haec non avolant, persistunt etiam illae. Unde Ecclesiastes c. IX. ait: *Sicut aves taqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Ita retentus in atheismo a dæmonie, mirabiliter et horribili illusione fuit Radbodus Frisiae rex, qui jamjam baptizari paratus a S. Wulframo, ex eo quiescit, ubinam censeret esse maiores suos? Quo respondente, apud inferos, pedem baptismi retraxit dicens, se velle cum majoribus suis esse, atque ita sine baptismi defunctus est; ut est in vita Wulframi apud Sur. XX. Martii. Sed o quam stultum est hoc vinculum! Quid enim tibi prodest, si cum multis damnaris? Aut cum multis ad suspendium educaris? Annon inde major tibi provenit damnatio? An non audisti Dominum de zizaniis dicentem, Matth. XIII. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum:* hoc est, ut S. Greg. I. IX. moral. c. XXXIX. ait: «Pares paribus sociate, ut quos similisculpa inquinat, par etiam pœna constringat. Adulteros cum adulteris, avaros cum avaris, fures cum furibus, homicidas cum homicidis, etc.» Jam vero quis nescit stupas in fasciculos colligatas vehementiorem ardorem concipere et se mutuo ardentes inflammare? Pari modo malorum societas majorem affert eis damnationem. Quis igitur nisi insanus hoc vinculo se teneri patiatur? O quantum sibi mutuo maleficent et se mutuo execrabuntur socii mali in inferno!

VI. Respectus hominum; timent enim aliqui, ne si novam instituant vivendi rationem, homines hoc eis exprobrent, atque eos pusillanimes et effeminatos clamitent. Quos dæmon ita decipit, uti auceps alaudas, quæ videntes supra se girari in aere accipitrem fictitium, non audent se a terra tollere et avolare, sed metu illo retinentur, donec reti aucupis contextæ perimantur. Hominum judicia et censura quasi ligneus accipiter sunt, nec quidquam tibi noce re possunt, nec impedi te a beatitudine: contra vero dæmon plurimum, ni ab ipso avoles, nec tibi exprobrare potest, si fugeris; sed debet, si non fugeris: sicut merito insanus repu-

taretur, non qui de luto surgit, sed qui ob respectus et præsentiam hominum de luto, in quod cecidit, surgere nollet. Quis enim pudor tenebit istos in judicio, cum omnibus patebit eos ob tam inanem metum converti non ausos? Quæ insania velle placere mancipio magis quam Domino? Nec audere Domino placeere, ne mancipio displiceas? Hujus rei exemplum refert Beda I. V. c. IV. de quodam strenuo viro nobili, qui cum in morbum incidisset, sœpius monitus, ut de præteritis sceleribus pœnitentiam ageret, respondebat: se dilatarum in id tempus cum convalescisset, ne a sodalibus audiret se timore mortis id agere, quod sanus facere noluisse; qui tandem ad extrema deveniens, horribili dæmonum aspectu territus, sue præscius damnationis desperans obiit.

VII. Negligentia quædam supina circa propriam salutem, qua nunquam introspicunt aut examinant suam conscientiam, nunquam seipso considerant, quo statu res eorum sint. Hos idecirco dæmon aliis negotiis occupat, et alio deducit, ne salutem inveniant; pene ad eum modum, quo avis illa (vulpanser asseritur apud Pieri. I. XX. hierogl.) quæ, ut vidisse se scribit S. Basilius hom. XXIII. de exhort. ad baptismum, vana spe aucupem decipit, ne is nidum pullorum inveniat: offert se aucupi quasi mox comprehendenda, donec eum a nido abducat. Similiter et dæmon peccatores variis negotiis circumducit et occupat, ne nidum æternæ beatitudinis omnibus Christi pullis paratum inveniant; vel ne nidum conscientiae suæ foetidum, cui dæmon incubare solet, introspicant, et peccatorum feddissimos pullos inde eximant. Sed exentiens est lethargus, rumpenda vincula ista: quid enim potius curandum, quam salus animæ? Noli detineri nugis puerilibus quomodo cœlestem hereditatem tibi paratam aedes. Audiamus Isaiam c. LII. *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem. Solve vincula collitui, captiva filia Sion.* Straminea sunt hæc vincula, noli iis detineri, disruppe ea cum Samsone, quasi filum de stappa.

VIII. Præsumptio de Dei misericordia. De hac dictum in dominica septuagesimæ, conc. V.

IX. Obstinatio seu indurata voluntas, de qua S. Augustinus I. VIII. confess. cap. V. *Spirabam ligatus non alieno ferro, sed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus et inde mihi catenam fecerat, etc.* Sed de hac dictum in festo S. Stephani, conc. VI.

X. Dæmonis vigilantia, de qua in dominica II. quadrages. conc. V.

- I. Quia dux vitæ nostræ.
- II. Quia testis et accusatrix.
- III. Quia judex.
- IV. Quia lex Christianorum specialis.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, etc. Math. XI.

Quamobrem Joannes Baptista in vincula sit ab Herode conjectus, exponunt S. Matthæus capit. XIV. Marcus capit. VI. Lucas capit. III. Lucas ait: *Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes; adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.* Nimirum: quia Joannes instanter arguebat Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* idcirco tentus et custoditus est in carcere, ne scilicet eum amplius arguere et confundere posset. Multi sunt Herodis imitatores qui Joannem, id est, conscientiam suam, sibi oclamantem in deserto cordis et murmurantem contra peccata, vincunt et incarcernant; dum prorsus nihil curant, quid vi conscientiae fieri possit, dummodo leges non reclament, dummodo magistratus non corripiat, dummodo homines non obseruent; conscientia objurgatio, imperium vel interdictum minime auditur. Hinc solemus dicere de ejusmodi hominibus: *Non habent conscientiam.* Habent profecto omnes homines suam conscientiam, sed non omnes audiunt vel interrogant; vincit ergo et inclusam habent, sed ad suam perniciem. Videndum ergo quanti referat audire conscientiam.

I. Quia ad hoc a Deo data nobis est conscientia, ut esset in hoc tenebrioso mundo dux viarum nostrarum et lumen ducens atque inclinans ad agendum bonum, fugiendum malum: est enim syndæsis habitus intellectus practicus, non tantum ostendens homini bonum, sed etiam inclinans ad prosecendum illud. Magnum Dei beneficium fuit, quod populum Hebreum præcesserit in columna ignis nubis ad ostendendam viam per desertum usque ad ingressum terræ sanctæ Exod. XIII. sed si bene advertimus, idem aut simile beneficium imperavit unicuique nostrum: dedit enim nobis lumen conscientiae, in qua ipsem quasi Deus præcedit nos in vitæ nostræ peregrinatione, ne deviemus a cœlesti patria. Hoc voluit sibi Menander, cum dixit: «Mortalibus cunctis conscientia est Deus.» Hoc est instar et vice Dei: quemadmodum scilicet columnæ illa Deum repræsentabat. Nemo igitur dicere potest, sibi non ostendi quid sit bonum et quid malum. Hanc enim querelam refellit David

Psal. IV. cum ait: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultustui Domine.* Hoc lumen dictat homini legem illam universalem, tamquam certissimam et indubitatam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* proinde ne fureris, ne mecheris, ne occidas, ne falsum testimonium dicas, etc. item sequendum esse Deum, querendum bonum, honestum, etc. neque solum dictat, sed etiam inclinat ad prosecendum bonum, ut dixi.

Proinde qui ducem et consiliarium hunc non audierit, gravius condemnabitur, quam qui legi scripta non obediat, nam lex scripta ostendit tantum rem vel præceptam esse, vel vetitam; conscientia vero ostendit etiam aquam esse, vel iniquam. Et propterea gentiles vitiis deditos dixit Apostolus *Inexcusabiles*, ad Rom. I. *quia ipsi sibi erant lex et habebant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum;* ad Rom. II. Hinc Dominus in judicio dicturus est reprobis: *Esurivi et non dedidisti mihi manducare, etc.* puta non solum Christianis malis, sed etiam gentilibus. Sed quid si gentiles respondeant: *Domine, quando te vidimus esurientem, etc.*? respondebitur: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecisti.* Id quod etiam aliquo modo gentilibus potest dici; poterant enim ac debebant dictante conscientia cognoscere, Deo dari et videri, quod pauperibus fit et datur; si quidem et ipsi Dei creature et imago sunt: multo vero severius hoc exprobribitur Christianis, qui non solum dictante natura agnoscent succurrendum esse pauperibus, sed etiam urgente Christi mandato.

II. Quia ipsa est inspectrix et testis, adeoque accusatrix actuum nostrorum perpetuo nos comitans, omnia adnotans atque in librum inscribens, suo tempore prodenda. Unde quidam dixit: *Conscientia mille testes.* Et Eccles. cap. VII. *Scit conscientia tua quia et tu crebro male-dixisti aliis.* Est autem testis inseparabilis; quod ethnicus etiam Seneca agnovit, qui in I. de morib. ait: «Nullum conscientiam scelerum tuorum magis timueris, quam temetipsum; alienum enim fugere potes, te nunquam.» Deinde inflexibilis est, quia nullis blanditiis patitur se quietari aut excaecari ut di ssimulet actus pravos; sed est instar corvorum illorum, qui occisores S. Menradi quaquaversum insecuti sunt clamoribus et morsibus, sicut eos prodiderunt, ut a magistratu plecerentur. Comitatur etiam conscientia prævaricatores usque ad tribunal Dei, nisi scelus expietur, est instar tintinnabuli illius, de quo in vita S. Medardi apud Sur. quod collo tauri appensum erat, et a fure, qui taurum S. Medardo abduxerat, abstractum et occultatum perpetuo sonabat, donec furem proderet. Exemplo sunt fratres Josephi, qui